

Bijlage VWO
2017

tijdvak 1

Latijn

tevens oud programma Latijn

Tekstboekje

Tekst 1

Het einde van de regeerperiode van Romulus

1 Haec ferme Romulo regnante domi militiaeque gesta, quorum nihil
2 absonum fidei divinae originis divinitatisque post mortem creditae fuit,
3 non animus in regno avito recipiendo, non condendae urbis consilium,
4 non bello ac pace firmandae. Ab illo enim profecto viribus datis tantum
5 valuit ut in quadraginta deinde annos tutam pacem haberet. Multitudini
6 tamen gratior fuit quam patribus, longe ante alios acceptissimus militum
7 animis; trecentosque armatos ad custodiam corporis quos Celeres
8 appellavit non in bello solum sed etiam in pace habuit.

9 His mortalibus editis operibus cum ad exercitum recensendum contionem
10 in campo ad Caprae paludem haberet, subito coorta tempestas cum
11 magno fragore tonitribusque tam denso regem operuit nimbo ut
12 conspectum eius contioni abstulerit; nec deinde in terris Romulus fuit.

13 Romana pubes sedato tandem pavore postquam ex tam turbido die
14 serena et tranquilla lux rediit, ubi vacuum sedem regiam vidit, etsi satis
15 credebat patribus qui proximi steterant sublimem raptum procella, tamen
16 velut orbitatis metu icta maestum aliquamdiu silentium obtinuit. Deinde a
17 paucis initio facto, deum deo natum, regem parentemque urbis Romanae
18 salvere universi Romulum iubent; pacem precibus exposcunt, uti volens
19 propitius suam semper sospitet progeniem. Fuisse credo tum quoque
20 aliquos qui discerptum regem patrum manibus taciti arguerent; manavit
21 enim haec quoque sed perobscura fama; illam alteram admiratio viri et
22 pavor praesens nobilitavit. Et consilio etiam unius hominis addita rei
23 dicitur fides. Namque Proculus Iulius, sollicita civitate desiderio regis et
24 infensa patribus, gravis, ut traditur, quamvis magnae rei auctor in
25 contionem prodit. 'Romulus,' inquit 'Quirites, parens urbis huius, prima
26 hodierna luce caelo repente delapsus se mihi obvium dedit. Cum perfusus
27 horrore venerabundusque adstissem petens precibus ut contra intueri
28 fas esset, "Abi, nuntia" inquit "Romanis, caelestes ita velle ut mea Roma
29 caput orbis terrarum sit; proinde rem militarem colant sciantque et ita
30 posteris tradant nullas opes humanas armis Romanis resistere posse."

31 Haec' inquit 'locutus sublimis abiit.' Mirum quantum illi viro nuntianti haec
32 fides fuerit, quamque desiderium Romuli apud plebem exercitumque facta
33 fide immortalitatis lenitum sit.

Livius, AUC 1.15.6-1.16.8

Tekst 2

Bacchanalia in Rome

1 Huius mali labes ex Etruria Romam veluti contagione morbi penetravit.
2 Primo magnitudo urbis capacior patientiorque talium malorum eam
3 celavit: tandem indicium hoc maxime modo ad Postumium consulem
4 pervenit. P. Aebutius, cuius pater publico equo stipendia fecerat, pupillus
5 relictus, mortuis deinde tutoribus sub tutela Duroniae matris et vitrici T.
6 Semproni Rutili educatus fuerat. Et mater dedita viro erat, et vitricus, quia
7 tutelam ita gesserat ut rationem reddere non posset, aut tolli pupillum aut
8 obnoxium sibi vinculo aliquo fieri cupiebat. Via una corruptelae
9 Bacchanalia erant. Mater adolescentulum appellat: se pro aegro eo
10 vovisse, ubi primum convaluisset, Bacchis eum se initiaturam; damnatam
11 voti benignitate deum exsolvere id velle; decem dierum castimonia opus
12 esse; decimo die cenatum, deinde pure lautum in sacrarium deducturam.
13 Scortum nobile libertina Hispala Faecenia, non digna quaestu cui ancillula
14 adsuerat, etiam postquam manumissa erat eodem se genere tuebatur.
15 Huic consuetudo iuxta vicinitatem cum Aebutio fuit, minime adolescentis
16 aut rei aut famae damnosa; ultro enim amatus adpetitusque erat, et
17 maligne omnia praebentibus suis meretriculae munificentia sustinebatur.
18 Quin eo processerat consuetudine capta ut post patroni mortem, quia in
19 nullius manu erat, tutore ab tribunis et praetore petito, cum testamentum
20 faceret unum Aebutium institueret heredem.
21 Haec amoris pignora cum essent, nec quicquam secretum alter ab altero
22 haberent, per iocum adolescens vetat eam mirari si per aliquot noctes
23 secubuisset: religionis se causa, ut voto pro valetudine sua facto liberetur,
24 Bacchis initiari velle. Id ubi mulier audivit, perturbata 'Di meliora!' inquit:

25 mori et sibi et illi satius esse quam id faceret, et in caput eorum detestari
26 minas periculaque qui id suasissent. Admiratus cum verba tum
27 perturbationem tantam, adulescens parcere execrationibus iubet:
28 matrem id sibi adsentiente vitrico imperasse. 'Vitricus ergo' inquit 'tuus —
29 matrem enim insimulare forsitan fas non sit — pudicitiam famam spem
30 vitamque tuam perditum ire hoc facto properat.' Eo magis mirabundo
31 quaerentique quid rei esset, pacem veniamque precata deorum
32 dearumque si coacta caritate eius silenda enuntiasset, ancillam se ait
33 dominae comitem id sacrarium intrasse, liberam numquam eo accessisse.
34 Scire corruptelarum omnis generis eam officinam esse, et iam biennio
35 constare neminem initiatum ibi maiorem annis viginti. Ut quisque
36 introductus sit, velut victimam tradi sacerdotibus, eos deducere in locum
37 qui circumsonet ululatibus cantuque symphoniae et cymbalorum et
38 tympanorum pulsu, ne vox quiritantis, cum per vim stuprum inferatur
39 exaudiri possit. Orare inde atque obsecrare ut eam rem quocumque modo
40 discuteret, nec se eo praecipitaret ubi omnia infanda patienda primum,
41 deinde facienda essent. Neque ante dimisit eum quam fidem dedit
42 adulescens ab iis sacris se temperaturum.
43 Postquam domum venit, et mater mentionem intulit quid eo die, quid
44 deinceps ceteris, quae ad sacra pertinerent, faciendum esset, negat
45 eorum se quicquam facturum, nec initiari sibi in animo esse. Aderat
46 sermoni vitricus. Confestim mulier exclamat Hispalae concubitu carere
47 eum decem noctes non posse; illius excetrae delenimentis et venenis
48 imbutum nec parentis nec vitrici nec deorum verecundiam habere.
49 Iurgantes hinc mater, hinc vitricus cum quattuor eum servis domo
50 exegerunt. Adulescens inde ad Aebutiam se amitam contulit, causamque
51 ei cur esset a matre eiectus narravit. Deinde ex auctoritate eius postero
52 die ad consulem Postumium arbitris remotis rem detulit.

Livius, AUC 39.9.1-39.11.3

Tekst 3

Na enkele overwinningen op de Romeinen trekt Hannibal plunderend door Italië. De consuls Varro en Paulus verschillen van mening over de te volgen tactiek: Varro pleit ervoor Hannibal aan te vallen, terwijl Paulus de strijd tegen Hannibal wil uitstellen.

De vroegere Romeinse opperbevelhebber Fabius spreekt in onderstaande tekst consul Paulus moed in. Fabius legt aan Paulus uit waarom de Romeinen op de lange duur sterker zullen staan dan de Carthagers.

1 "In Italia bellum gerimus, in sede ac solo nostro. Omnia circa plena civium
2 ac sociorum sunt. Armis, viris, equis, com meatibus iuvant iuvabuntque. Id
3 iam fidei documentum in adversis rebus nostris dederunt. Meliores,
4 prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit. Hannibal contra in
5 aliena, in hostili est terra, inter omnia inimica infestaque, procul ab domo
6 ac patria. Neque illi terra neque mari est pax. Nullae eum urbes accipiunt,
7 nulla moenia. Nihil usquam sui videt. In diem rapto vivit. Partem vix
8 tertiam exercitus eius habet quem Hiberum amnem traiecit; plures fame
9 quam ferro absumpti; nec his paucis iam victus suppeditat.
10 Dubitas ergo quin sedendo superaturi simus eum, qui senescat in dies,
11 non commeatus, non supplementum, non pecuniam habeat?"

Livius, AUC 22.39.11-15

Aantekeningen

regel 1 **circa** om ons heen

regel 4 **tempus diesque** het verstrijken van de tijd

regel 4-5 **in aliena** *Vul aan: terra*

regel 7 **suum** wat van hemzelf is

In diem Elke dag

regel 8 **Hiberus** Ebro (*rivier in Spanje, waar Hannibals expeditie tegen de Romeinen was begonnen*)

regel 9 **absumpti** *Lees: absumpti sunt*

victus proviand (*onderwerp*)

regel 10 **dubito quin + coniunctivus** eraan twijfelen dat

sedeo niets doen

in dies elke dag

regel 11 **non commeatus** *Lees: qui non commeatus*